870.10 Litt D

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-FORENSIS

DE

INGRAVIDATIONE DISSIMVLATA

AC

DISSIMVLANDI MEDIIS

QVAM

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. EIVSDEMQVE P. P.
ANATOM. ET BOTANIC. SVBSTIT. VT ET SOCIETAT.
IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. ET REG.
BRITANN. SOCIO H. T. DECANO

PATRONO AC PRAECEPTORE AETERNVM VENERANDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
ET PRIVILEGIA IMPETRANDI

D. XII. DECEMBR. AN. M DCC XXIV.

PLACIDAE DISSENTIENTIVM DISQVISITIONI EXPONIT

AVCTOR

Liebe Gott Michael CHALYBAEVS
GOERLIC. LVSATVS
H. T. MED. PRACTIC. STOLBERG. CHERVSCOR.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE, ET POST MERIDIEM SVETIS

WITTEBERGAE, STANNO GERDESIANO.

35.

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Standort			Katalog		
	Zimmer			Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

DE

INGRAVIDATIONE DISSIMVLATA

AC

DISSIMVLANDI MEDIIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

PROOEMIVM.

Inter alios caſus quamplurimos, in foro occurrentes, qui Medici depoſitionem poſtulant, ac multas in iudicando difficultates creant, non poſtremi ſunt, ubi de uirginitate laeſa, ac impraegnatione facta, iudicium ferri debet. Virginitatis quidem ſigna admodum dubia atque fallacia eſſe, iudicauit Bohnius de offic. Med. dupl. P. II. Cap. V. p. 625. *adeo, ut non dubitarit aſſerere, de certo ac*

infallibili ſigno uirginitatis nondum conſtare. Veteres quidem totum fundamentum in uirginitatis clauſtro, membranae hymenis integritate, poſuerunt. Haec etiam, licet tantopere hactenus controuerſa, a recentioribus, et imprimis clariſſ. Heiſtero *ſufficienter demonſtrata eſt, ut nemo amplius de eius exiſtentia cum ratione dubitare queat. Ipſe enim teſtatur, ſe illam non tantum in puellis paruis ſemper reperiſſe, ſed talem etiam ex puellae XIII. uel XIV. annorum deſumptam, ab Ipſo deſcriptam et delineatam in Ephem. Germ. Cent. VII. et VIII. obſ. LXIX. uidere licet. Illam quoque in genitalibus, his ipſis diebus ex puella VI. annorum extractis*, Excellentiſſ. Dn. Praeſes Fautor ac Patronus ſummopere colendus *mihi demonſtrauit. At enim uero illa membrana a tot iniuriis externis laedi poteſt, ut ex illius abſentia ſola, niſi aliae ſimul circumſtantiae concurrant, firmum de uirginitate laeſa iudicium ferri nequeat. Imo exempla praeſto ſunt, quod hac licet illaeſa, non modo uirginitas amiſſa, ſed ipſa quoque conceptio et impraegnatio facta ſit, quale ſingulare habet* Celeberrimus Ruyſchius Obſ. Anat. Chirurg. XXII. *qua partum mirabilem ſectione non tantum membranae hymenis adhuc integrae, ſed alius etiam praeternaturalis,*

uagi-

uaginam profundius claudentis, foetusque exitum impedientis, feliciter peractum, luci expoſuit. Non minorem difficultatem creare ſolet iudicium de impraegnatione ac ingrauidatione, ad quam celandam, foetumque praemature e domicilio ſuo expellendum, tot artibus utuntur meretrices malitioſae. Quamobrem de argumento ſpeciminis inauguralis ſolicitus, de ingrauidatione diſſimulata atque diſſimulandi mediis *in praeſenti diſſertatione agere decreui. Faxit Deus O. M. ut hoc ipſum cedat in ſui honorem, ac proximi, et imprimis infantum innocentiſſimorum commodum.*

CAP. I.
DE INGRAVIDATIONE, EIVSDEMQVE SIGNIS DIAGNOSTICIS.

Theſ. I.

De ingrauidationis ſignis uerba antequam facio, nonnulla de ſtructura uteri, nutritione et excluſione foetus praemittere, neceſſarium omnino atque utile eſſe iudicaui. Eſt uero uterus pars corporis, ſoli ſexui ſequiori competens,

artificioſiſſima ſtructura mechanice fabrefacta quaſi, cum duobus ouariis, in utroque latere uno, (in quibus uera ouula, in iisque ſtamina futuri Embryonis praeexiſtentia reperiuntur) nec non tuba Fallopiana, ſeu ouiductu duplici; et quatuor ligamentis, innumerabilibusque uaſis ſanguiferis, inter ueſicam urinariam et inteſtinum rectum, in cauitate peluis ſita, ad conceptionem & domicilium foetus primario facta; cui accedit uagina, atque pudendum externum, ad recipiendum membrum uirile, et emiſſionem lotii, nec non catameniorum, factum.

Theſ. II.

Poſteaquam itaque uterque ſexus foecundus, organa inter ſe communicarunt ſua, oritur conceptio, quae quidem uarie, ab Auctoribus deſcribitur uariis, et mox a principio quodam immateriali, intelligente, rationali atque ſpirituali dependere proponitur; mox ut *Loewenhookius* putat, conceptionem ex animalibus uiuis in ſemine maris contentis, (qualia tamen in omni etiam ſano & incorrupto ſemine inveniri perſuadere mihi haud poſſum) oriri, quae ſententia, minus congrua, & multis difficultatibus

bus (ne dicam abſurditatibus) obuoluta eſt. Potius cum iis facio, qui conceptionem nihil aliud, quam, per ſubjectorum fœcundorum congreſſum, factam intimam unionem ſeminum in ouario, cum eaque unione, non ſolum ſtaminum Embryonis in ouulo praeſentium, dilatationem, ſuccorumque in eo contentorum nouum motum, ſed etiam in hominibus, nouae animae immaterialis productionem eſſe ſtatuunt. *uid. Magnif. D. D. Chr. Vateri Praeceptoris mei ac Patroni ſummopere colendi Phyſ. Experim. p. m.* 719.

Theſ. III.

Embryo ſic in ouario conceptus, primis diebus nutritur proprio ſuo ſucco ouuli, quod oborta turgeſcentia interna, a clauſtris ſuis liberatum, ſine crepatura quidem atque ruptura membranae ouarii, uti hactenus creditum eſt, per oris antea quidem anguſtioris, ſed tamen uere praeexiſtentis aperturam dilatatam, relicto in ouario calice, obſeruante primum *illuſtri Ruyſchio in Aduerſ. Anatom. Dec. III. n. IV.* prorumpit, ac a tuba Fallopiana exceptum, ad uterum defertur. Ibi in ſinu, iuxta finem tubae, interius in latere uteri exſculpto, ſubſiſtit, donec ex-

explicatis ſucceſſiue filamentis membranae exterioris Chorii, utero adhaereſcit, unde placenta uterina oritur, qua mediante fœtus per ductum umbilicalem, nutrimentum ſuum poſtea, ex particulis ſanguinis materni chyloſis, oleoſo ſulphureis atque gelatinoſis capere poſſit. Vltimis uero menſibus, per os quoque nutritur fœtus ex ſucco amnii, uti celeberrimi teſtantur Medici, de quo inſignis obſeruatio in *Excell. Laur. Heiſteri compend. Anatom. p. m.* 201. *annot.* 20. *de foetu uaccino, extat.* Nec tamen cum iis ſentire poſſumus, qui nutritionem fœtus per umbilicum uanam & nullam eſſe perhibent, quod contra experientiam, ſanamque rationem pugnat. Triplici itaque ratione foetus per novem integros menſes in utero nutritur, donec finitis hiſce, non quidem ob ſpatii anguſtiam nec ob reſpirationem deficientem, (ea enim ille non opus habet in utero) quin potius ob perfectionem completam et ſuccorum eiusdem turgeſcentiam, uerſus fundum uteri calcitrat, capiteque orificium eius premit, atque ita ad exitum ſeſe praeparat.

Theſ. IV.

Hiſce praemiſſis ad ſigna ipſa Diagnoſtica ingrauidationis me uertens, uideo ſtatim

alia

alia ſigna eſſe genuina, alia uero ſpuria, uel mere falſa; ex quo etiam factum eſſe, puto, quod nonnulli dubitarint, dari ſigna certa atque euidentia ingrauidationis, quod tamen falſum eſſe, e ſequentibus patebit. Ante omnia uero monendum, uni uel alteri ſigno ſolum fidem habendam eſſe minime, quin potius plura ſimul et collectiue eſſe ſumenda, aliquid certi antequam exinde concludere poſſumus. Hinc quoque de ſignis prius ſpuriis, ſiue minus probabilibus, ſiue plane falſis aliquid proferre, (contraria enim iuxta ſe poſita magis eluceſcunt) haud incongruum eſſe, perſuaſum habeo.

Theſ. V.

Inter ſigna uero ſpuria et falſa primo ſe ſiſtit loco lotium grauidarum, ex quo nonnulli, uroſcopiae ualde dediti, infallibile ſignum proferre uolunt, quod tamen mere fallax eſt, atque nullum fundamentum in re habet. Talem uroſcopiam, *Miroir des urines* dictam, haud ita pridem in Gallia, a Medico *de la Riuiere* dicto, editam eſſe, in qua non tantum temperamenta et morborum cauſas, ſed etiam ingrauidationem, eiusque tempus, foetusque concepti ſexum ex urina iudicari uoluit, teſtantur *Act.*

Breslauienſ. 1723. *Menſ. Jun. Claſſ. IV. Art.* 9. ubi praeterea exempla infelicis uroſcopiae, atque diuinationis ex urina, una cum cautelis utiliſſimis, circa inſpectionem lotii, ac in iudicio de ingrauidatione obſeruandis, uideri poſſunt. Vrina enim an per ingrauidationem notabiliter alterari poſſit, ego ſane dubito, quia nullum ferme commercium, niſi excipias circulum ſanguinis, cum utero habet; et ingrauidatio neque colore, neque conſiſtentia et contentis urinam ita alterare poteſt, ut exinde infallibile atque euidens ingrauidationis ſignum depromi poſſit. Interdum tamen per accidens quid exinde concludi poſſe, non nego: perſonam enim de cohabitatione ſuſpectam, quae urinam Medico inſpiciendam recuſat, ſuſpicionem augere, et quaſi tacite ingrauidationem adfirmare, non incongrue concludit *Clariſſ. Teichmeyerus, inſtit. Medico-Legal. p.* 39.

Theſ. VI.

Eiusmodi generis eſt experimentum *Hipp. Aphor,* 41. *ſect. V.* traditum: *ſi noſſe uelis*, inquit, *an mulier utero gerat, iam iam dormiturae melicratum bibendum exhibeto, quod ſi alui torminibus infeſtetur, concepit: ſin minus, non con-*

concepit. Hoc ſane experimentum mere falſum eſt: melicratum enim, quod nihil aliud eſt, quam mel cum aqua uel uino miſtum, quod propter partes ſuas uiſcoſas, atque fermenteſcibiles facillime, praeſertim in ſubiectis Cachecticis, hypochondriacis, et obſtructionibus laborantibus, non ſolum foemininis, ſed etiam maſculinis, tormina eiuſmodi excitare ualet; in aliis uero corpora puriora habentibus, et tono uiſcerum ualido gaudentibus, ſiue adſuetis, ſine paſſione iterum per loca conuenientia exitum inuenire haud nequit: Ex hoc ſane fallaciam huius experimenti uberrime conſtare, arbitror.

Theſ. VII.

Imo non deſunt uaria, ab Auctoribus commendata, experimenta cum ſanguine et urina grauidae, nec non cum aliis rebus inſtituta, quibus ingrauidationem probare uoluerunt, de quibus *uid. Venette, in ſuo de generatione hominis edito tractatu, p. m.* 366. *ſeqq.* ubi tamen monendum, plurima eſſe mere falſa, imo plane abſurda, et nihil exinde probari poſſe; ut etiam, non niſi ex cerebro hominum otioſorum enata ſigna eſſe, certiſſime credam, ratione et experientia

rientia deſtituta ſunt pleraque, hinc ea mitto, et ad alia me confero.

Theſ. VIII.

Ephelides pariter, quae a nonnullis pro ſignis ingrauidationis quoque habentur, ſiue maculae liuidae, uel etiam fuſcae in fronte, et reliquis faciei partibus, praeprimis adparentes, oriuntur a ſero ualde impuro, intra poros cutis, inprimis faciei, quae aeri liberiori magis expoſita eſt, reſtitante, et in utroque ſexu etiam conſpiciuntur, imo in perplurimis grauidis nullae eiusmodi maculae adſunt; mere fallax itaque ſignum eſſe, recte concludo.

Theſ. IX.

A minus probabilibus ad probabiliora nunc me uerto, ubi ulterius mihi totius medicinae inſtaurator ac Parens, praeſtantiſſimus nimirum *Hippocrates*, ſignum impraegnationis ſuppeditat, *V. Aphor.* 51. *quaecunque*, dicens, *ſunt grauidae, illis os uteri conniuet.* Orificium enim uteri internum poſt cohabitationem foecundam et conceptionem factam, praeprimis poſt deſcenſum ouuli in cauitatem uteri, omnino clauditur et conniuet, ne nimirum uel aer exter-

externus, uel cohabitationes frequentes, uel aliae iniuriae foetui, primis praecipue menſibus alias tenerrimo, uim atque noxam inferant.

Theſ. X.

Obſeruantur praeterea mox poſt conceptionem appetitus irregularis, nauſea ciborum, inprimis carnium, et uomitiones frequentes, ſymptomata foeminis praegnantibus ualde familiaria. Nec tamen ſemper certi quid pronunciare poſſumus ex appetitu rerum abſurdarum, eſuique ſaepiſſime ineptarum, quem Medici *Picam*, ſeu *Malaciam*, uocant; hic enim non ſemper, quanquam interdum in grauidis contingit, certo ingrauidationem probat. Oriri enim quoque poteſt eiusmodi appetitus abſurdus, in uirginibus, uiduis, atque uiris Cachecticis atque Cacochymicis, qui uitiatum habent menſtruum uentriculi, de quo *uid. Schenk. in obſ. ſuis.* Cum aliis tamen iunctim ſumptis indiciis, ex appetitu eiusmodi irregulari, nec non uomitu matutino, poſt cibum ſumptum ceſſante, haud leuis, conceptionis factae oritur ſuſpicio.

Theſ. XI.

Intumeſcentia abdominis per ſe quidem ingrauidationem non infert; eiusmodi enim intu-

meſcentia etiam in hydrope adeſt; uel ex mala quoque conſtitutione ouariorum oriri poteſt, uti *uidere eſt ex Excell. Dn. D. Praeſidis, Praeceptoris ac Promotoris honoratiſſimi, diſſ. de grauiditate adparente ex tumore ouarii dextri in aſcitem tandem terminata; et celeberr. D. D. Brendelii diſſ. de hydrope ouariorum*, quam tamen Medicus prudens atque rationalis, rerumque experientia pollens, ex circumſtantiis rite inter ſe collatis, facile ab ingrauidatione diſcernere ualet. Intumeſcentia quippe abdominis, ab impraegnatione orta, non confeſtim, ſed ſucceſſiue fieri ſolet, neque dura nimis, neque inaequalis, nec mollis nimis, cum ſono ac fluctuatione coniuncta eſt, ac in hydrope, aſcitide et tympanitide, ubi etiam plurima alia ſigna et ſymptomata concurrunt. Hinc Medicus ex eiusmodi intumeſcentia, cum aliis ſignis coindicantibus, certo impraegnationem concludere poteſt.

Theſ. XII.

Idem eſto iudicium de lacte in mammis. Lac enim naturaliter non niſi in mammis grauidarum reperitur, et nihil eſt aliud, quam ipſe Chylus, in inteſtinis tenuibus per uaſa lactea tranſco-

tranſcolatus, et per ductum thoracicum in uenam axillarem infuſus, cum ſanguine miſtus, et cum eodem per circulum ad uaſa mammaria demandatus, ibidemque ſecretus. Quod uero interdum eiuſmodi Chylus in mammis uirginum, de quo exempla *uid. ap. Roder. a Caſtro libr. de Natura mulierum. Thom. Bartholin. in Ciſta Medica.* nec non uirorum fuit repertus, quod refert *Schenkius, in obſ. de lacte,* et *Teichmeyerus, inſtit. Medico-Legal. p.* 36. de iuuene ſtudioſo, lac in mammis habente, facit mentionem; quod tamen non niſi in ſubiectis ſumme Plethoricis, et aliis circumſtantiis poſitis, u. gr. euacuationibus, alias ſuetis, ſuppreſſis, contingere, clarum eſt; quo pertinet *Aphor. Hipp.* 39. *ſect. V. ſi mulier neque praegnans, neque puerpera lac habet, huic ſuppreſſa ſunt menſtrua.* In grauidis uero ſemper, praeprimis ultimis geſtationis menſibus, eiusmodi chyloſa ſubſtantia in mammis reperitur; foetus nimirum ultimo geſtationis tempore, ſucco quoque amnii nutritur, hinc minori quantitate eiusmodi chyloſae ſubſtantiae opus habet, quae ſenſim ſenſimque uerſus mammas decumbit, easque ad ſequentem lactationem neceſſariam aptas reddit, et ſummopere ingrauidationem arguit, cum

quo

quo etiam conſentit *C. C. C. V. artic.* 35. *et* 36.

Theſ. XIII.

Catameniorum quoque ceſſatio merito ab *Hippocrate* inter ſigna ingrauidationis *V. Aphor.* 61. refertur: *ſi mulier non ſit menſtrualis, nec rigor ullus, nec febris illi ſuperueniat, ipſa uero in cibi faſtidium incidat, certo ſcito, hanc uterum ferre, ac grauidam eſſe.* Tributum enim lunare in foeminis, non loco poenae ipſis impoſitum, uti *Helmontius* putat, contingit, ſed potius ob turgeſcentiam et abundantiam ſeri chyloſi, alias ad nutrimentum foetus deſtinati, fieri, rectiſſime concluditur; hinc quoque in nonnullis ſubiectis exanguibus menſtrua illa purgatio per totum ferme uitae ſpatium non ſuccedit. Si uero euacuatio illa uterina, absque aliis cauſis manifeſtioribus, e. gr. deficiente ſanguine, erroribus Diaetae, uel aliis obſtructionem menſium cauſantibus cauſis, ceſſat, deficientibus praeterea ſignis omnibus Cachexiae, uel alius morbi, et perſona alias ſuſpecta eſt, (de his enim hic ſermo eſt,) quin impraegnationem exinde concludam, nullus dubito. Contingit quidem grauidis quoque quibusdam menſtrua haec excretio ad dimidium, imo ad ulti-

ultimum usque geſtationis tempus, ſed non, niſi in ſubiectis Plethoricis ualde, uel cum detrimento foetus, adfirmante *Coo V. Aphor.* 60. *Si mulier grauida ſit menſtrualis, non poteſt foetus eſſe ſanus:* Hinc ſi absque cauſis ullis aliis, ſine febricula, horrore atque languore, reliqua, contingit, et aliis indiciis praeſentibus, Philiater ex hac quoque ceſſatione menſium ſignum Diagnoſticum petere poteſt.

Theſ. XIV.

Inter uero omnia ſigna, optimum ferme ac certiſſimum praebet motus foetus ipſius. Foetus enim, ad quartum uel quintum usque menſem in utero geſtatus, deinceps motu ſeſe manifeſtat, interdum adeo forti, ut et uiſu percipi poſſit, et manus abdomen tangentes, feriat, ſanus praecipue ſi in utero foetus eſt ac uegetus. Nec obſtat, quod ſaepius eiusmodi motus uagi in abdomine oriantur, qui quidem foetus motum mentiuntur, et tamen non ſunt, qui ab intelligentibus facile etiam diſtingui a ueris poſſunt. Motus enim flatulenti non ſunt conſtantes, ſed uagi hinc inde in corpore percipiuntur, et quoque deinceps effectu ſeſe manifeſtant. Interdum quidem mola, uel aliud praeternatu-

rale, in, uel circa uterum, contentum, motus eiusmodi ſpasdicos, foetum mentientes, excitat, qui tamen accuratiori indagatione, et circumſtantiarum penſitatione, omnino diſcerni poſſunt.

Theſ. XV.

Haec itaque ſunt potiora ſigna impraegnationis, quibus prudenter inter ſe collatis, et collectiue ſumptis, Medicus de impraegnatione omnino ſat certus eſſe poteſt. Perſona enim de ſcortationibus ſuſpecta, ſi ſigna antea allata, quanquam non omnia, tamen pleraque, aut potiora, in eadem concurrunt, quin grauida, nemo dubitare poteſt. Quoniam uero eiusmodi ſubiecta (*uult enim celari ſua furta venus*) quantum poſſibile, id occultare ſtudent, hinc cautum atque prudentem requirit Medicum, ne in iudicio fallatur, aliosque fallat. Hinc opus quoque nunc eſt, ut paucis de Mediis, quibus eiusmodi meretrices, beſtiis crudeliores, foetus proprios, ante horum perfectionem, necare et expellere, atque ſic ſua nefanda ſcelera celare, aliosque fallere allaborant. Eſto igitur

Cap.

CAP. II.

DE INGRAVIDATIONEM DISSIMVLANDI ET ABORTVM PROMOVENDI MEDIIS.

Theſ. I.

Viduae ſiue ſint, ſiue uirgines, quum per congreſſum illicitum ſe impraegnatas ſentiant, ſtatim omne ſtudium in eo collocant, quo donum illud Diuinum expellant, et priſtinam famam defendant. Peruerſi enim hodierno tempore adeo mortales ſunt, ut etiam uitia commiſſa lubentius negare, quam abſtinere, et ad meliorem frugem redire malint, ſiue mediis id fiat licitis, ſiue illicitis, parum ſolliciti. Meretrices enim eiusmodi, quanquam optime non ignorant, ſe contra mandatum Diuinum feciſſe, tamen confiteri, et poenam mediocrem expectare nolunt, ut potius Embryonem iſtum innocentem uariis modis foras protrudere, et ſumma ſic animi uoluptate homicidium efficere contendant, etſi poenam ineuitabilem perbene ſciunt. Imo interdum eius-

modi periculoſa tentant, quibus non ſolum foetui, ſed ſibi ipſis ſaepius noxam inferunt, uitamque dirimunt, uti e ſequentibus patebit.

Theſ. II.

Media uero, quibus eiusmodi meretrices ad foetum exturbandum abutuntur, et ita facinus ſuum impie ac iniuſte occultare contendunt, ſunt praecipue triplicia, *Chirurgica, Pharmaceutica et Diaetetica*, eaque iterum ex regno *animali*, *minerali et uegetabili* deſumpta. Sic *Chirurgia* eiusmodi ſceleſtuoſiſſimis manus auxiliatrices Venae Sectione praebet, qua mediante non tantum foetui nutrimentum adimitur debitum, quo exinde langueſcat omnino, uel plane egreſſum ſibi paret, neceſſe eſt, ſed etiam, ſi imprimis in pedibus uena tundatur, turgeſcentiae ſanguinis uerſus uterum, et eruptioni menſium occaſio praebetur. Sic teſtatur *Cous V. Aphor.* 30. *Mulieri*, inquiens, *ingrauidatae ſi uena tundatur, abortit: eoque magis, ſi foetus grandior ſit.* Quod tamen abſolute dictum eſſe non uolo, ac ſi nulli grauidarum Vena poſſit ſecari, ut potius ſummo ſaepius cum emolumento matris et foetus, in ſubiectis Plethoricis, non ſimplici, ſed repetitis quoque uicibus pertundatur

tur uena; imprimis Venae ſectione, breui ante partum inſtituta, in his idem multum facilitatur, et ſymptomata grauiora praecauentur. Sed in ſubiectis Cacochymicis, uel ſaltem intempeſtiue, et ſine indicantibus Venae ſectio celebrata, abortum facillime omnino excitat. De *ſcarificatione et hirudinibus* hoc etiam ualet.

Theſ. III.

Ad remedia Chirurgica porro referri merentur ligaturae abdominis arctiores, quibus eiusmodi infanticidae intumeſcentiam abdominis impedire conantur, ne ſuſpicionem ingrauidationis incurrant. Ligaturis uero eiusmodi arctiſſimis omnino impediunt dilatationem uteri, qui in ſtatu ingrauidationis in magnam ſane molem extendi debet, et per conſequens quoque debitum augmentum foetui denegant, imo plane illum ſuffocant, uel membra eius contorquent, ut uel uiuus, uel mortuus, egredi debeat. Exempla eiusmodi infanticidii *uid. in Act. Medicor. Berolinenſ. Decad. I. Volum. IV. p. m. 95. ſeqq.*

Theſ. IV.

Punctura quoque ad remedia Chirurgica pertinet, qua mediante abortum excitatum, cu-

rioſiſſima obſeruatio aeque ac rariſſima apud *B. D. D. Brendel. in diſſ. qua Decad. ſecundam obſeru. Anatom. proponit, obſ. VII. p. 23. extans*, teſtatur, quam integre huc tranſcribere, quia, diſſertationem hanc non in omnium manibus uerſari, certo ſcio, neceſſarium eſſe, arbitror. *Ancilla ex compreſſu grauida facta, deteſtandum conſilium, ne conſtituta ignominia, ac poena afficiatur, init, et arrepto ſtylo acuto, eoque ferreo et praelongo, illum per uaginam et ceruicem uteri magno niſu, et exquiſitiſſimis perpeſſa doloribus, aliquoties immittit, quo ita irritat, ſtimulatque uteri ceruicem, ut foetus tandem cum profuſiſſima haemorrhagia eiiciatur, quam uehementiſſima inflammatio, cum intenſiſſima febri ſociata, ſequitur, quae tamen cuncta tamdiu reticet ancilla, et diſſimulat, resque ſuas adminiſtrat, quamdiu id uires ferunt, quousque demum acerbitate doloris, et inopia uirium adacta, decumbere cogitur. Hoc rerum ſtatu, cum ſpe omni morbo euadendi excideret, et mortem appropinquare perſentiſceret, tandem, quid geſtum ſit, quidue patrauerit, conſcientiae compulſa ſtimulis, aperit et edicit, ac breui poſt, quia uis morbi remediis praeualebat, deliriis correpta, et diſtenſione neruorum agitata, exſpirat. Inciſo cadauere, et inſpectis partibus genitali-*

talibus, latera uaginae, huc, illuc ueluti ſugillata, liueſcebant, ceruix autem late hiabat, cruorque ex laceratis, et gangraenoſis uaſculis ſanguineis, cum multo tabo manabat, totiusque uteri ſuperficies interior, ſigillatim in ea parte, qua ſecundinae illi accreuerant, nigricans foetensque, et a putrefactione proxime aberat, ouarium dextrum, in quo corpus luteum et ſpongioſum conſpiciebatur, flacceſcebat, ſiniſtrum, hydatidum uariae magnitudinis plenum, uaſa autem uteri, quae eius ſigillatim ſuperficiem perreptant, flaccida, et ab omni ferme ſanguine exhauſta, deprehendebantur. Plura propter uehementem graueolentiam, et partium corruptelam, rimari non licuit; quemadmodum et hoc latet, utrum cum ſtylo ſecundinas, et earum uaſa ſanguinea, ſaluo foetu, ex quibus tanta ſanguinis profuſio nata ſit, laceſſierit atque traiecerit, quia mater, foetum abortiuum aliquot ante obitum dies clam in terram defoderat, ut, ex ignoratione loci, nec foetus denuo erui, nec ſecari atque perluſtrari potuerit. Hactenus ille. Quam etiam obſeruationem concinniorem in *Ephemer. Germ. Cent. III. et IV. obſ. CLXVII.* ab Auctore inſertam uidere licet. Haec ſunt Chirurgica; nunc etiam uidebimus, quomodo remediis Pharmaceuticis et Diaeteticis abutuntur.

Theſ.

Theſ. V.

Inter remedia *Pharmaceutica* primum locum obtinent *Emmenagoga* ſic dicta, *quae ſal uolatile et ſulphur ſanguinis intendunt, expandunt, et in motum cient, uterumque exſtimulare poſſunt*, ut cum *Celeberr. VVedelio, Amoen. Mat. Med. p. m. 397. ſeqq.* loquar. Haec enim medidicamenta non ſolum propter ſal uolatile et particulas ſuas pungentes, acutas atque mouentes, fortiter incidunt, aperiunt, et reſoluunt, ſed etiam uehementer ſtimulant, atque neruoſum genus uteri irritant, ac ad ſpaſticam quaſi tractionem concitant. Inter quae primarium ferme ac praecipuum eſt *Sabina*, eiusque eſſentia atque oleum, quae non ſolum catamenia foetumque pellunt, ſed plane enecant, unde etiam a multis **Kinder-Mord** uocatur. *uid. Herbar. Zornii, p. m. 352. et G. VV. VVedel. diſſ. de Sabina.* Huic annumerari merito debent *Crocus, myrrha, borrax, ariſtolochia, artemiſia*, et plura alia, quae, propter ſingularem operandi modum, non menſtrua ſolum, ſed, immoderate uſurpata, foetum quoque cum ſuis inuolucris eiicere ualent. Falſa uero ſunt,

quae

quae de lapidis *Aetitis*, foemori alligati, abortum excitandi facultate referunt Auctores, *uid. Leuin. Lemnius, de occultis Naturae miracul. p. m.* 407.

Theſ. VI.

E*mmenagoga* excipiunt ſic dicta *Emetica*, quae, propter ſalinas ſuas acres atque pungentes particulas, fibras uentriculi ad motum ſingularem ſpaſticum, ſurſum uerſus, quo omnia in eo contenta per os extruduntur, concitant. Haecce remedia, quanquam immediate quidem foetum cum utero ſuo non tangunt, tamen propter nimiam totius corporis, et partium praeprimis omnium in abdomine contentarum, quae in Emeſi contingit, concuſſionem, ſi foetus nondum firmiter cum utero cohaeret, omnino efficere poſſunt, ut foetus cum ſua placenta ab utero diſcedat, et, licet immaturus, e domicilio ſuo migrare cogatur. Nec tamen nego, in ſtatu etiam ingrauidationis, uomitoria propinari poſſe, ſi ſaltem in minori doſi, magnaque cum cautela ea adhibeantur. Nec poſſum cum iis ſentire, qui, Emeticorum uſum e foro Medico plane proſcribendum eſſe, putant; errant hi, et ignorant inter uſum rei et abuſum

diſtinguere. Emetica ſunt quidem medicamenta uehementiora, ſed tamen etiam ualde proficua, ſi ſaltem recte utentem inueniunt, imo aegrum ſaepius e mortis faucibus quaſi eripiunt, et ſanitati priſtinae reſtituunt.

Theſ. VII.

Purgantia non immerito huc etiam referuntur, et ſicuti Emetica per ſuperiora, haec per inferiora operantur. Et quoniam uterus inteſtino recto immediate incumbit, non poteſt non, quin eius ſtimulos ſimul percipiat, imo medicamenta eiusmodi purgantia, draſtica, colocynthiaca, helleborata, ſcammoniata etc. de quibus uid. *Düttelius, in ſuo, de uirulenta purgantium indole, tractatu, cap.* 4. *de purgantium uſu in medicina prouidentiſſimo, p. m.* 72. *ſeqq.* inſimul etiam maſſam ſanguineam grauiter irritant, ex quo non niſi uarias noxas foetus percipiat, neceſſe eſt. *Cous* etiam hoc ſua adfirmat experientia, *V. Aphor.* 34. *Mulieri grauidae,* inquit, *ſi aluus profuſior ſit, abortionis periculum imminet.* Negari tamen minime poteſt, grauidis quoque purgantia ſaepius ualde proficua eſſe, ſed ea ſint mitiora, et potius laxantia, quam draſtica et fortiora, opus eſt, alias minus con-

conueniunt, quod etiam diuus noſter *Senex* non improbat, quando *V. Aphor.* 39. *ita* ait: *praegnantes quidem purgandae, ſi humor ſit efferus, et quadrimeſtris purgatio, dum ſeptimeſtris purgatio fuerit, quamuis hae minus. Nam in minore et grandiore foetu cautius relligioſiusque agendum.* Nec etiam *Diaphoretica* et *Diuretica* fortiora improuide ſunt adhibenda, ne iisdem quoque noceamus.

Theſ. VIII.

Remediis Chirurgicis et Pharmaceuticis uiſis, ad Diaetam nunc eſt progrediendum, quae omnes mortales, cuiuscunque ſint ſexus, aetatis, mire alterare poteſt, quidni etiam grauidas, praeprimis, ſi libenter uitia committere cupiunt. Sic, animi pathemata grauiora, ira, triſtitia, nimium gaudium, unice ſaepius abortum excitare queunt, nimium commouendo ſpiritus; multo magis, ſi indecens motionis et quietis, nec non excernendorum et retinendorum prauum regimen accedit. Imo quoque fame et abſtinentia a cibis potuque, foetui nutrimentum debitum detrahendo, eum ita perſaepe debilitant, ut, nolens, uolens, emori cogatur; quanquam ſibi ipſis maximam noxam inferant.

Plura mala, quae ex erroribus Diaetae proueniunt, uid. hinc inde *in Magnif. D. D. Chriſt. Vateri diſſ. de Hygiene* habita.

Theſ. IX.

His itaque fundamentis innixus, Medicus de ſtatu ingrauidationis, et de abortu concitato iudicium ferre poteſt ac debet. Quilibet autem facile uidet, quanta hic opus ſit prudentia, circumſpectione, ac omnium circumſtantiarum diligenti indagatione, ac ſagaci ponderatione, ne, uti ſaepe uſu uenire ſolet, cum ignominia Artis noſtrae nobiliſſimae, praecipitanti iudicio riſui ſe quis exponat, aut ab innocentibus iniuriarum poſtuletur. Non enim, uti iam in principio monui, uni uel alteri ſigno ingrauidationis fidendum, ſed plura coniunctim conſideranda, antequam certi quid pronuncietur.

Theſ. X.

Ita in ſpecie, praeſente abortus, ſiue ſtudio, ſiue caſu, concitati, ſuſpicione, ubi de mediis iudicium ferendum eſt, non tantum remedia illa ipſa, eorundem adplicandi modus, et doſes, nec non tempus adhibendi, ſed etiam temperamenta, aliaque probe attendi debent. Nam quae in

hoc

hoc uel illo temperamento abortum concitare queunt, illa in aliis hunc effectum non edunt, et quae in principio ingrauidationis nocent, non aeque in progreſſu idem praeſtant, exemplo Venae Sectionis, uti ex antea dictis conſtat. Imo quandoque medicamenta fortiſſima, uomitoria, purgantia, aut emmenagoga, in robuſtioribus non ſufficiunt ad foetum e ſede ſua citius, ac par eſt, exturbandum, uti exempla ab Auctoribus relata confirmant, quale in *Ephemer. Germ. Cent. I. et II. Obſ. XLIV. a clariſſ. Ettmullero, de foemina grauida, Anaſarca laborante, multum ſine noxa purgata,* uidere licet. Contra ea non raro contingit, ut in tenerioribus ſubiectis ex cauſis leuiſſimis concitetur abortio, quae propterea non tam medicamento, quam debilitati illarum grauidarum adſcribi debet. Ita ab uſu mannae, olei lini, pinguedinis uiperinae, antimonii diaphoretici, ac aliis eiusmodi remediis blandioribus, abortum excitatum, habent *Amman. Medic. Critic. Fortunat. Fidel. de relat. Medic. Ephem. Germ. aliique Auctores.*

Theſ. XI.

Quodſi praeterea medicamenta, abortum alias promouentia, uſurpata fuerunt, ui-

dendum quoque, qua doſi et proportione hoc factum, quoniam haec ipſa in minima doſi per ſe tantum effectum non edunt. Hanc ob cauſam Facultas Medica Lipſienſis, interrogata, an Sabina ad gr. I. propinata, Crocus ad gr. ſs. Nux uomica ad gr. I. Rhabarb. ad gr. V. pro abortus cauſa habenda ſint, negatiue reſpondit, uti uidere eſt in *Zittmann. Med. Forenſ. Cent. II. Caſ. XXVI. Cent. VI. Caſ. IV.* Haec omnia igitur qui bene conſiderat, non facile errabit. Antequam uero finem uerborum facio, DEO O. M. gratias perſoluo decentes, ſtudiisque meis porro gratia ſua adeſſe uelit, humillimo Eum corde rogo.

Sufficiat.

CO-

COROLLARIA.

I.

Mens ab utroque ſexu in liberos quidem propagatur; Modus uero fiendi ſoli Deo non ignota.

II.

Ergo ipſo conceptionis momento, integer, qua partes eſſentiales, concipitur homo.

III.

Expulſio itaque Embryonis, nonnullarum ſaltem dierum, ſtudio facta, uerum eſt homicidium.

IV.

Medicamenta, abortionem promouentia, non ſunt e foro Medico proſcribenda; aliis enim inſeruiunt quoque uſibus.

V.

V.

Pharmacopoei non cuiuis petito ſatisfaciant, ſed circumſpecte in diſtributione Pharmacorum agant, neceſſe.

VI.

Magiſtratus, tum ſuperior, tum inferior, ne cuiuis Idiotae, nam

Fingunt ſe Medicos quiuis Idiota, ſacerdos,
Iudaeus, Monachus, hiſtrio, raſor, anus
Miles, Mercator, Cerdo, nutrix et arator,
Vult Medicas quiuis uanus habere manus,

ſed illi ſaltem, qui uera in Academiis fundamenta artis Aſclepiadeae addidicit, praxin Medicam exercere, ne periclitetur ſalus publica, permittat, lege tenetur.

VII.

Medicus ergo intus, Chirurgus uero extus medelam adferat.